

convenias eique diligentissime suadeas, ut se prolocutorem Christi et defensorem monasteriorum fidei devotione exhibeat. Facile ignis accenditur, qui deinceps non extinguitur, facile inchoatur quod nulla etate terminatur. Rex non adest; prudentes vel non sunt, vel non audiuntur; episcopi qui columpne celi sunt, sive infirmitate sive vecordia non tam celum sustentant, quam ruinam celo inclinati generant. Principes si asperius scripserint domno pape, si durius aliquid mandaverint, si incaucius aliquid egerint, fieri potest, ut divino iudicio domnus papa et tota aecclesia Romana hanc temeritatem indignanter advertat et sic paulatim flamma crescente excommunicationi ssententia feriat. Quis ergo erit mediator? Quis deinceps accensi ignis flammam extinguet? Quis, sublata pace, bestie prioris vel secunde incursum coercebit? O tempora infausta, infelicia, erumpnosa. Omni solatio destituta est in terris ecclesia, unicum solatium de celis prestolatur a fidei Christo Iesu, qui hoc pollicitus est: 'Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi'. Item apostolus dicit: 'Iesus Christus heri et hodie ipse et in secula'. Frater noster dilecte, hec idcirco scripta tibi noveris, ut, dum marchionem premonueris, multa ex his verbis bona generentur, multa mala compescantur. Pax ecclesie obex est contra malos, quos Iohannes bestiam de mari ascendentem predixit. Sicut nullo tempore defuerunt, qui ecclesiam impugnarent, sic nullo tempore deerant, qui illam devote defensarent. Si memoriam nostre etatis recenseamus, Ekbertus marchio catholicos profugos contra Heinricum regem tutatus est. Item Lodwicus comes et Wichbertus comes et Theodricus comes, singuli pro suis viribus ecclesiam defensarunt. Hoc infausto tempore episcopi colonne celi contremiscunt, cedri paradisi nutant tanquam virgule deserti; abietes, quas in usum domus Domini Salomon excidit, inclinantur. Sit ergo Albertus tuus tamquam cedrus Libani, quam Dominus plantavit, in quo passeret nidificabunt. Plerumque Christus aliquos principes potentes et divites per gratiam electos in aecclesia plantat, quorum protectione pauperes Christi tamquam passeret ewangelici, qui non sub tecto set super tectum carnalis vite libertate spiritus requiescunt, tueantur. Si recte pensetur, principes in defensatione pauperum Christi non tam prestant beneficium illis, quam accipiunt ab illis, quia per gratiam a Christo plantati sunt, ut in illis passeret nidificent, cum quibus ex omnibus meritis spiritalibus in salutem et vitam eternam communicent. Esto, ut beneficium ipsis accommodent, si hoc temporale est; quod vero ab illis acceperint, eternum est. Etiam dux Magnus, avus Alberti, ex informatione Hardewici Verdunensis epi copi tamquam cedrus Lybani a Christo plantatus est, sub cuius umbra illius temporis passeret ewangelici refrigerati sunt. Post